



**Disputatio philosophica inauguralis de origine animae  
rationalis : quam ... auctoritate ... Jacobi Vallan ... eruditorum  
examini subjicit Henricus Vapour.**

<https://hdl.handle.net/1874/345193>

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**ORIGINE ANIMÆ  
RATIONALIS,**

39.  
QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**JACOBI VALLAN,**

M. D. Præceos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,  
NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academiçi consensu, Sûbilissimeque  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS IN PHILOSOPHIA AC  
LIBERALIUM ARTIUM MAGISTERIO.  
Summisque Honoribus & Privilegiis ritè consequendis,

*Eruditorum examini subijcit*

**HENRICUS VAPOUR,** Roterodamo-Bat.

*Ad diem VIII. Decemb. horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ibc xci.

*Amplissimo* V I R O  
D. ARNOLDO VAPOUR,  
Reipublicæ Roterodamensis  
Viro Senatorio Scabini olim  
munere functo, Fratri meo, ad  
rogum usque, eo quo par est  
modo, Honorando, Colendo.

NEC NON  
VIRO NOBILISSIMO  
D. PETRO PAGET  
DE BRAGARD, Ærarii  
Serenissimi Domini Comitis  
Regentis Lippæ, illicque à con-  
siliis, administratori fidelissi-  
mo, Sterrembergensium Sa-  
trapæ dignissimo, Affini meo,  
dum Vivam, debito amore  
Prosequendo.

*Disputationem hanc Inauguralem.*

*D. D. Dedico.*

HENRICUS VAPOUR, Auctor.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
ORIGINE ANIMÆ  
RATIONALIS.

SECTIO I.



I rerum inquisitio apud Philosophos tanti semper habita fuerit, ut eum, qui solitò penitus in arcana earum penetraret, felicem pronuntiare non dubitaverint, jure multo potiori, is primas retulisse censendus est, qui, præterito, quicquid aliis in rebus, vel incertæ, vel altioris indaginis extiterit, Mentis suæ Originem, sollicitè, quantum à sese fieri potest, explorat; præsertim cum ipsius materiæ nobilitas, disquisitionis utilitas, pariter & necessitas, tantæ sint, ut cum his collata quæcunque fuerit rerum naturalium investigatio, candela Soli apposita esse videatur. Ut autem Animæ Rationalis, quam omnium rerum Dominam, & sigillum summi Regis, non obscuri nominis Philosophus (*Pymander in Mercurium Trismegistum*) appellavit, Origo ritè explicetur, quid qualisve sit, in limine expendendum est.

I I.

Animæ itaque humanæ definitionem (missâ illa Neotericorum,  
A quod

quod sit, perpetua cogitatio) hanc damus: Esse spiritum dependentem, ordinatum ad personalem sui cum corpore unionem. Ejus definitionis partes magis principales obiter explicabimus.

## III.

Mentem humanam cum dicimus Spiritum, duo indicamus. *Primo*, esse substantiam cogitare pronam, seu, quod commune habet cum notione cujuscunque spiritus, habere principium eliciendi actiones suas cum conscientia; de quo dubitari non potest, si ritè evolvatur natura spiritus, qui ad sui ipsius essentiam & ex eâ cogitandi potentiam attendens, novit se & esse, & agere posse. *Secundo*, quemcunque conceptum corporis ab animâ, seu spiritu esse removendum, quod probant, tum distincta utriusque causalitas, seu efficacia ista, qua hic aliquid producit, quæ non eodem modo de corpore dici potest; cum opposita & tota sua natura diversa utriusque attributa. Hoc enim quamcunque penetrabilitatem respuit, ut cui sit esse impenetrabile, spiritui vero penetrare proprium est, quod patet, tum ex actu reflexo, quod minus omni facultate corporea superius; tum etiam ex modo nobis prorsus incognito, quo idem suas cogitationes alteri ejusdem essentia, quod animabus separatis & angelis proprium est, communicare debet.

## IV.

Quamvis autem Anima nostra Rationalis corpori infinitis quasi parasangis excellat, non tamen independens est. Sux enim dependentia non solum à Deo, verum etiam à corpore (non quoad essentiam, ea enim spiritualis, sed quoad operationes) non potest non sibi esse conscia, ex multiplici illo defectu, quo se sæpius laborare sentit in hoc statu unionis, in quo corpori nexu adeò in divulso connexa est, non per nudam quandam assistentiam (quales Intelligentias cælorum motrices finxere quondam Philosophi) aut meram operationem; sed nexu, quo res spiritualis cum corporeâ intimè adeò cohæret, ut unum suppositum exinde resurgat, non nisi morte solvendum, quâ nobilior illius pars, informationi corporis huc usque destinata, per totalem hujus indispositionem, ab illius quasi vinculis liberatur, ut liberius suas operationes non impedita exercent, *ἰσχύσει* in æternum permanens, nisi ei, (quod

(quod sola fide constat) ex constitutione divinâ cum corpore iterum uniendæ, aliter prospectum fuisset.

## V.

Hæc verò omnia immortalitatis Animæ (obluctantibus frustra Epicuræis, aliisque rectæ rationis hostibus infensissimis, postea recensendis) characterem indelebilem exprimunt. Non autem eam intelligimus, qua Anima Rationalis, aded necessarium esse habet, ut contradictionem implicet, illud amittere, vel esse desinere, in qua acceptione nulla creatura, quantumlibet spiritualis aut independens à corpore, sed solus Deus, cujus esse a nullo profus dependet, immortalis esse potest. Illam verò intelligimus, quatenus ejus esse in se nullum habet desinendi principium, neque ab ulla causa physica destrui potest, & ided natura ejus postulat, ut postquam illud accepit, perpetuò retineat, in eoque conservetur.

## V I.

Hinc meritò colligimus, quemadmodum Anima à nulla causa physica destrui potest, ut quæ immortalis, eandem etiam illam nec à materiâ produci posse. Etenim res, quæ materiæ mole caret, etiam partibus, ex quibus produci possit, destituta est. Quæ sponte nos ad scopum deducunt, inquisituros, *an Anima Rationalis Originem suam Deo Creatori debeat, num verò alicui rei præter Deum.* Quæ quæstio, ut pomum *epid.*, varios ab utraque parte, nec Philosophos solum, verum etiam Theologos, seculi sui facile principes, fautores sortita est.

## V I I.

Ad hujus Quæstionis, ne eam in limine modo salutatam relinquere videamur, statum propius enodandum, hunc ordinem servabimus, præmissuri paucis

*Primò*, Protheoriam historicam, ortum, progressum ad hæc usque nostra secula.

*Secundò*. Quæstionem ipsam, argumentis & rationibus ab utraque parte, inserto hinc inde Antiquitatis Ecclesiasticæ testimonio, suffultam, examinaturi.

*Tertiò*. Astructâ creatione Animæ Rationalis à Deo, tempus, an ab æterno simul & semel, an verò in tempore singulis hominibus indatur, explorabimus.

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Quarto. Subjuncturi aliquid de propagatione peccati originalis, ne Deo ter. opt. max. aliquid indignum, silentio prætermisiss, quas sanctitati ipsius impia adversariorum cohors affricare conatur, calumniis, adscribere videamur, colophonem impone-  
mus.

### V I I I.

Hæc autem controversia, in qua cum difficultate certat antiquitas, missis hic, sed suo loco digito monstrandis Philosophorum, ante Christum natum, opinionibus, totum olim Occidentem exercuit, non solum mediæ ætatis homines; verum etiam seculis à Christo nato proximè elapsis, magnos Ecclesiæ præcæ Doctores, quos magnum illud Ecclesiæ, Arrianorum aliorumque insidiis petita, columen, Hipponensis excepit seculo quarto, *August. Epist. 157. pag. 138. ad lit. E. Hieron. Epist. ad Marcellin. & Anaphsychiam. pag. 672. lit. D.* Quæ postmodum tempore Gregorii Magni, id est ducentis fermè post Augustinum annis, in eadem caligine & ambiguo versabatur, ut patet ex ipsius ad Secundinum Epistolâ. *lib. VII. Epist. 53.* Nec hic subsedit, verum usque ad tempora S. Anselmi, hoc est ad annum Christi M. C. in occidente durasse videtur hæc de Animarum origine dubitatio; *Edinerus in vita S. Anselmi.* Quæ & hodiè multos, feliciora Euangelii tempora nactos, Doctores Lutheranos etiamnum tenet.

### I X.

Ad arma tandem deventum est, in quibus non minus exercitatos, quam pertinaces malæ causæ defensores invenias, qui negatâ Animæ Rationalis Origine per creationem à Deo, eam, specioso peccati originalis prætextu, inferius evolvendo, per generationem fieri, probare omnibus præfractè viribus enituntur; adductis iis, seu potius in suum sensum tortis, tum è sacro Codice, (quorum tamen recensio, quum hujus non sit loci, ac ne falcem in alienam messem immittere velle videamur, consultò à nobis omittitur) testimoniis, cum ex Philosophiâ argumentis, quibus, ut ita dicam, intemperatos nive ac procellis montium vertices ferire se posse arbitrantur; verum quæ altum minantia rectè intuentibus bruta fulmina sint, propius examinemus.

### X.

Rationes itaque & argumenta, quæ Philosophia ipsis suppeditat,

tat, & tempus, simul & disquisitionis hujus intentum perpendere postulant. Statuant enim necesse est, Animam Rationalem produci vel ex nihilo, vel ex aliquo. Prius ex Hypothesi non possunt admittere, ergò ex aliquo, eòque vel substantia, vel accidente. Posterius nullus eorum dixerit, ob rationes postmodum recensendas, nisi Animæ omnem statum post mortem præcidat. Priori admissò, Anima producitur, aut ex substantia corporea materiali, & sic ipsa erit corporea, aut spiritali, idque vel ex patris, vel matris, vel utriusque simul Animâ, vel totali, vel partiali, & sic spiritalis anima divisibilis, & essentiæ non simplicis, sed compositæ ex partibus integrantibus, saltem duabus. Si dato priore, anima ex substantia corporea, qualis est materia seminalis, producat, ergò & ipsa corporea erit & materialis & divisibilis. Et sic recoquitur error, cujus olim Antiquitas *Tertullianum*, qui Teste Hieronymo florere incepit sub initia Severi Imperatoris, anno à Ch. nato 190. accusavit, ut qui non solum in tractatu *de Testimonio Anima*, & uberius in proximè subsequenti, quem *de Anima* conscripsit, verum in libro *de resurrectione Carnis*, hanc sententiam omnibus tueri viribus enititur. Hinc animas & pati, & ut corpora penes inferos affici pænis asserit: *Nos enim* (inquit) *animam corporalem & sic profiteamur, & in suo volumine* (de Anima) *probamus, habentem proprium genus substantiæ, soliditatis, per quam quid & sentire & pati possit, nam & nunc animas torqueri foverique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probavit Lazari exemplum. Tertull. lib. de Resurrectione carnis. pag. 55. Animam præterea ab unâ, videlicet Adami animâ redundare, & cum carne in utero feminari contendit; cujus erroris non solum Luciferianos, à Lucifero Carelitani Episcopo nomen & originem habentes, verum etiam Apollinaristas, quorum Apollinarem, Hierapoleos Phrygiæ civitatis Episcopum, Theodoretus & Eusebius authorem faciunt, postmodum sectatores habuit. Nicephorus lib. VIII. cap. 17. Socrates lib. v. cap. 5. Theodoret. lib. III. heretic. fabul. Eusebius lib. 5. cap. 16.*

## X I.

Qui autem prudentiores adversæ sententiæ patroni animas humanas oriri per generationem, & à parentibus in filios traduci existimant, istam propagationem fieri putant, vel per multi-



*plicationem, aut divisionem substantiæ ipsius Anima; vel productionem ex aliqua materiali substantia, seu semine: præter hos alius modus vel ipsis traduciaris incognitus est, qui an nullis difficultatibus, imò quod pejus est, absurdis premantur, tempus est, ut inquiramus.*

Si dicant, Animam filii esse per traducem ab animâ patris per ejus divisionem, jam divisibilem facient Animam Rationalem, & per consequens etiam materialem: quod quam indivisibili & immateriali ejus naturæ, ex operationibus planè spiritualibus assertæ, repugnet, quis est qui non videat? Egregium hæc de re Testimonium Lactantius exhibet. *Lib. de opificio Dei, pag. mihi 493.*

Deinde si animam filii pater generat ex substantiâ animæ suæ, eam generat, aut cum semine, aut sine semine; si prius, quæ ratio cur in casu bovis cornupetæ, vel latronis prægnantem gladio percutientis, abortum procurante, Embryoni discisso capite, manu, aliâve corporis parte, etiam non abscindatur anima? præcipuè cum semen in genere causæ secundæ sit constitutivum primum corporis organici. Si posterius, uique divisibilis existet Anima Rationalis.

#### X I I.

Verum dum hic vix extricandas difficultates suboriri vident, secunda sententia, ut probabilior, ipsis arridet, *quâ putant animas rationales per multiplicationem sui propagari.* Verum à Scylla ad Charybdim. Etenim si hoc verum sit, quare non angelus, qui æque ac Anima Rationalis spiritus est, sui similem producit, cum enim essentiæ ejusdem sint, & differentia ex ordine tantum Dei constitutivo, quo hæc ad corpus, non item ille ordinatus est, petenda sit, nulla ratio potest assignari, quare hoc minus angelo, quam Animæ Rationali proprium sit: si enim ex immaterialitate arguatur, non posse angelum sui similem producere per sui multiplicationem, etiam, cum istius essentiæ sit anima, nec & illa poterit. Adde, quod si anima parentis, aut patris, aut, matris, Animam Rationalem filii per sui multiplicationem producat, eam producet, vel necessitate naturæ, vel ex libero arbitrio. Si prius, cum omnia naturalia positæ ponendis necessariò semper agant, ut v. c. gnis necessariò & de facto semper urit, subministrata materia accen-

accendibili, sequeretur animam patris semper debere generare animam filii. Deinde quæ necessitate naturæ impelluntur, nullo prævio iudicii aut voluntatis actu ed adiguntur. Quod si verum in anima, ergo anima parentis nec sciens, nec volens animam filii sui produceret. Si liberè & per consequens spontè, ergo causa sterilitatis non aliunde, quam ex voluntate petenda erit, quia negante causa principali suum influxum, effectum tollitur, & sic Anima Rationalis, quia se ipsam transfundere atque multiplicare recusat, causa est non existentiae, vel si voluerit, existentiae Animæ Rationalis in fætu. Quod quam sit patrocinarum causæ fornicantium, aliorumque id genus hominum, qui, dum metuunt, ne facinora sua producantur in dias luminis auras, nihil non moliantur, quis est, qui non videat? Sileo, Jacobum Patriarcham Racheli de sterilitate quærenti malè regeffisse, esse Jehovam, qui ab eâ fructum ventris arceret, cum ex hâc sententiâ ipsius in potestate fuerit, quicquid impedimenti in hoc esset remove. En in quas difficultates & absurda non cogantur incurrere, dum semel malè coeptam opinionem tueri non erubescunt.

## X I I I.

Nec feminis patroni hîc magis sese expedient. Cum enim quodcunque conceperis, corpus sit, & quicquid ex corpore nascatur, ejusdem naturam induat necesse est, necessariò & ipsa Anima erit corporalis: quod quibus absurdis refertum sit, vel ex hoc uno attendenti innotescit. Si enim Anima oriatur ex semine, hoc idem ad ejus constitutionem concurreret, vel per modum principii intrinsecus constitutivi, quod per particulam *ex* denotatur, vel non. Si prius, ergò sequitur Animæ & corporis principia constitutiva esse eadem, ergò & essentia eadem. Si posterius, quomodo anima, quæ intrinseca forma hominis existit & spiritualis naturæ est, potest habere extrinsecus sui ipsius principium corporeum, tota sua natura ab eâ diversum; natura enim materiæ seminalis non permittit esse aliud principium, quam ex ordine constitutionis divinæ, & materialitatis (ut ita dicam) datum est ipsi esse, atqui hoc est corporeum naturale, ergò non ex semine Animæ spiritualis Origo. Vel extrâ semen, & sic aliundè ex nihilo, & creata. Vel negata creatione à Deo, anima citra semen fit ex nihilo subjecti, cum enim nec semen, nec anima parentis sint subjectum, ex quo educitur  
Anima

Anima Rationalis, (& tamen, quod ipsa ratio docet, illud, quod ex aliquo educitur, in eo, ut subiecto, & recipi & existere necesse est) ergo ex nihilo præexistenti producitur, ergo per creationem, quæ cum infinitæ potentiæ sit, nulli nisi Deo competere potest; ergo anima est à Deo. Præterea, ut unda pellit undam, sic mala sententia pessimos patri similes abortus enititur, etenim, si anima filii ab anima patris per semen educatur, ergo anima filii rea est omnium peccatorum parentis, ac ob ea punienda; contra expressum Dei iniquas judæorum calumnias severè corripientis, effatum. *Non feret filius iniquitatem patris &c.* Accedit & alia ratio, quod si anima ex semine produceretur, sequeretur concurrentibus seminibus, statim animari factum, quod nondum demonstratum vidimus. Saltem id non credidit Hipponensis Episcopus, dum hanc consequentiam format; *si jam formato corpore datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata; nam si cum semine & anima existit, ex animâ multa anima quotidie perent, cum semen fluxu quodam non proficit nativitati.* *Augustin. oper. tom. iv. pag. 152. col. 2. ad lit. r.* proinde quod & alii sequelæ via pateat; dum enim à semine in esse, fieri, & operari dependeat, sequeretur ipsam mortalem esse; contra naturam & scripturam.

## X I V.

Neque magis urget spiritualis, nescio cujus feminis, oppositio, quò collimare videntur Patrum plurimi, qui, cum crassâ nimis Minervâ, de anima ex substantia seminali oriunda, disputari viderent, eandem de spiritali quadam propagatione animæ spiritalis ab anima spiritali originem trahere asseruerunt; hanc autem fieri posse meditabantur: *sicut lucerna de lucerna accenditur* (ait D. Augustinus) *& sine detrimento alterius alter inde ignis existit, sic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem.* *August. Epist. 157.* Hinc volunt, quia flamma per sui multiplicationem flammam producit, & se ipsam propagat, atque hoc modo lumen oritur ex lumine, sic etiam animam ab animâ propagari. Sciendum autem est, flammam candelæ ardentis alteri extinctæ admotam, particulas pingues in adipe & fomite alterius contas & quiescentes movere, atque ita in ea congeriem particularum talium, quæ nihil aliud est, quam flamma, in adipe & fomite latitantium, excitare. Quod si itaque eodem modo anima pa-

tris

tris filii Animam produceret, per semen aliquod spirituale, ergo anima filii latuisset in hoc semine, vel ut *Rationalis*, & sic ipsum semen fuisset *Rationale*, ergo foret forma hominis, antequam hominem de factò informaret; vel ut *vegetiva ac sensitiva*, sed neque hoc, neque illud, quoniam nondum datur sujectum habile. Deinde instantiâ, quam petunt à flamma flammam generante nihil absurdus est, quum flamma & ignis sint substantia, ignisque in vapore, qui accenditur, est tanquam contentum in continente, ut aqua in spongia;

## X V.

Aliis insuper hæc sententia de spirituali semine difficultatibus urgetur. Etenim si hæc procedat, dabitur aliquis spiritus creatus, seu quocunque modo dixeris, efformatus, qui tertii generis, neque Angelus, foret neque Anima humana, id autem repugnat doctrinæ omnium Philosophorum, ut qui præter Deum spiritum increatum, creatorum spirituum distributionem duobus absolvunt, Angelorum, seu bonorum, seu malorum, & Animarum Rationalium. Accedit quod si semen spirituale revera ac realiter ab anima patris conferatur, idem ante præexistisset, omnis enim realis emissio reale ineffe infert, aut ut pars in toto, quod spiritui contrariatur, aut ut accidens in subiecto, quod ei quippe substantiæ repugnat, aut circumscriptivè, quod respuit animæ spiritualis natura.

Adde quod spirituale hoc semen, sit vel corruptibile post hominis generationem vel incorruptibile; Si prius, non est spirituale, nam nullum spirituale corruptibile est; si incorruptibile, quod post generationem, hominis maneat, ergo duplex in homine spiritus est, Anima Rationalis, & semen hoc spirituale ex quo Anima Rationalis producta est. Ergò in homine recens genito, aut exclusioni proximo & conscientiæ virium nondum capace, duplex statueretur agendi principium, quod absurdum.

Denique si Anima filii producat ab Anima parentis per semen spirituale, illud, producta jam anima, convertitur quoad substantiam in animam filii, vel per *totalem rei conversa annihilationem*, qualem in Eucharistia fingunt Pontificii, vel per *abolitionem unius partis essentialis illam rem constituentis*, quomodo lignum igni appositum, quibusdam in ignem converti dicitur. Atqui horum neutrum dici potest; non prius quoniam annihilationis rei spiritualis soli

Deo propria est, atque, annihilato jam semine, Anima ex nihilo produci necesse sit, & sic ea creatione à Deo. *Non posterius*, quia ex hac Hypothesi non minus ac corpora Physica, res spiritualis mutationi obnoxia esset.

## XVI.

Cæterum, cum Animæ Humanæ Originem non ex substantiâ quadam, aut corporali, aut spirituali, deducendam esse aliquo modo astruere conati fuerimus, restat expediendum, *num eadem sit modus quidam corporis, aut harmonia, ac partium humorumque illustris quædam contemperatio*; cui sententiæ jam olim Dicearchus, Aristoxenus, Andreas, Asclepiades, ipseque medicorum princeps Galenus, teste Nemesio, subscripsisse feruntur. Verum cum modus, aut hermonia, quodcumque dixeris, (dum sublato corpore destructisque partibus, eadem esset operari & existere) sint accidentia, ac nihil aliud quam certa quædam modificatio, cujus esse sit inesse substantiæ, atque eadem ipsa non nisi alicujus rei ad varios actus varia determinatio sit, quæ naturam sui subjecti sequitur, clarum est quod si Anima sit harmonia quædam corporis, aut specialis quidam sese habendi materiæ modus, ergò determinatio ista à re quâdam corporea procedat necesse est, atque seposito & in actione sua impedito vel etiam destructo corpore, necesse est & Animam non solum ab operationibus cessare, verum etiam desinere esse, cum sit accidens, nempe ut figura, quæ modus est quidam corporis, planè evanescit, dum figuratum immutatur, sic necesse erit Animam in morte penitus evanescere, si sit aliquis materiæ modus. Hujus sententiæ fuere non tantum Philosophorum plurimi, Animas (ut est apud Stobæum) *εις τὸ μὴ εἶναι* abire asserentium, verum etiam eadem videtur occasionem præbuisse multis Patribus, Origeni, Theodoro, Justino, Gregorio Nazianzeno, & Gregorio Nysseno, Aristotelem, quasi mortalitatis assertorem, insectari. Quæ omnia repugnant actionibus & operationibus Animæ spiritualibus, præterquam quod ex axiomate philosophico, modum operandi sequi modum essendi, satis superque demonstratnr, Animam, cum operetur modo à corpore diversissimo, id est, spirituali, etiam spiritualiter existere, & per consequens non esse accidens cum per se subsistere possit, hinc nec modum esse.

Quæ

## XVII.

Quæ omnia clarissimè evincunt Animæ nostræ spiritualem Originem non nisi a Deo esse posse; non tamen ex ejus substantia, cujus opinionis hæreticæ post Stoicos, Manichæos authores fuisse, ex Augustino *epist. ad Hieron.*, Lactantio, Epiphanio *Hæres. LXVI. pag. 270.* aliisque patet, ut qui statuerent, *animam esse Dei partem, & ab ipso avulsam, in captivitate principum, oppositi principii ac radicis in corpore conjectam.* Constat enim, Manetis asseclas duas in quolibet homine animas statuisse, alteram vitiorum labe maculatam & à malo principio ortam, alteram à labe immunem ortumque habentem à Deo illiusque particulam esse; quem errorem Augustinus in scriptis contra Manichæos multis oppugnat. Qui deinde a Patribus Concilii Constantinopolitani damnatus est, ejusque fautores anathemate percussi, harum rerum curiosi adeant *Concilia Generalia Editionis Biniana tomo. II. part. 2. pag. 890. ad Annum DCCCLXIX.* in horum sententiam juravere Priscillianistæ Hispaniarum olim Hæresarchæ, à Priscilliano quodam in Laletanis populis Episcopo, denominati. *Daneus in August. de Hæresibus. cap. 70. pag. 181. a Hisce Theodoretus in Epitome divinatorum decretorum. cap. IX. pag. 274.* adjunxit Cerdonianos & Marcionitas, quam sententiam Marcus Antoninus *in lib. II.* nequaquam adversatur. Verum cum infiniti Dei simplicitati compositio quæcumque contraria sit; præterquam quod ejus immutabilitas vel umbram mutationis abhorreat; patet nec habere ipsum posse partem, quæ sit Anima, neque etiam si haberet illam amittere in tempore. Deinde quia particula Dei debet esse infinita, & peccati incapax, Anima autem finitæ virtutis, non solum capax, verum etiam experientia teste, de facto peccato inquinetur, hinc manifestum est Animam non posse esse particulam Dei. Quod egregiè exequitur Augustinus, *si enim inquit, particula Dei esset, omnino incommutabilis atque incorruptibilis esset, quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semet ipsa inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat quantum ad ejus ipsius affectiones pertinet.* *August. lib. II. de Origine Animæ ad Hieronymum.*

## XVIII.

Interea nec somniis Græcorum de universa quadam Mundi Anima indulgendum est; ut enim hi existinarunt singulorum

Animas particulas esse Animæ Mundanæ, quarum quælibet suo corpore, ut aqua vase, includeretur, in quod intrusa, ut in Carcerem, qui error etiam Origeni adscribitur, pœnas lueret nimium corporearum affectus; ita & reputarunt unamquamque Animam, corpore dissoluto, quasi diffracto vase effluere, ac Animæ Mundanæ iterum uniri, nisi quod plerumque ob contractas in impuro corpore sordes, vitiorumque maculas, non prius uniantur, quam sensim omnes sordes exuerint, & aliæ ocyus, aliæ serius repurgatæ atque immunes ab omni labe evaserint; hinc Animam illam Mundanam ob partem illius præstantissimam, mentem videlicet, dixere Deum, cujuscumque autem Animam esse *μῦθος* τῆς θεῆς, quod suis Auditoribus valde inculcavit plato, quamvis alii ac moderationes ipsius asseclæ, Platonem hac de re ab Aristotele male notatum (ut qui allegoricum ipsius sensum nequaquam attenderit) acriter defendant, ac per Animam Universi partium illius *συμπληρωμα*, quâ res per se contrariæ in Universi illa mole concordia quâdam discordia copulantur, intelligendam esse contendant. *Cal. Rhodig. l. ix. cap. 12.* tametsi nonnulli præter calorem quendam vivificum in Chaos infusum, ac vim ignificam per quamlibet partem ad conservationem, nutritionem, ac vivificationem totius universi diffusum, quo Platonem collimasse asseverant; sublimius quid intendisse ipsum volunt, nimirum Spiritum Dei, omnia ex rudi atque informi materia formantem, quique vi sua efficaci omnibus rebus essentiam, vitam & perfectionem, indiderit. Ita *Ludov. Vives. in lib. x. August. de Civitate Dei. Cap. 23.* Hinc *Virgilium. lib. vi. Æneid. pag. 642.* Platoniorum mentem recte assecutum fuisse, cum inquit.

*Principio calum ac terras camposque liquentes  
lucentemque globum Luna, titaniaque astra  
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus  
mens agitat molem & magno se corpore miscet.*

Ægyptiis hac in re longè sapientiores Plaronici, ut qui totum universum animatum, cælum cerebrum, terram verò ventrem, analogicè forsan, eo quod matrem animantium pleorumque eam conspirent, assererent. Platoniorum sententiæ in quibusdam prelusit Pythagoras, *Πυθαγόρας* strenuus assertor, quam à Brachmannis Indiæ Philosophis haustam primus in Italiam invexit, à *μολο*

Manichæorum & veterum Ægyptiorum hac in parte discrepans, quod illa transmigrationem Animæ in aliud ejusdem speciei corpus, hæc verò, teste *Theodoreto. lib. 1. hæreticar. fabul. cap. xxvi. pag. 214.* Animarum in corpora non ejusdem, sed diversarum specierum, puta *volucrum, jumentorum, ferarum, serpentium* transmigrationem induceret. Longius autem recedunt, qui cum Epicureis Animæ Originem ex concursu atomorum certo modo dispositarum, astruunt, sic enim incerto cuidam casui, Deo inferiora non curante, tota hæc res committitur. Quæ porro Platoniorum, vestigia principis sui, vel prope prementium, vel aliquid immutantium, sententia fuerit, quorum quidam *Animas in aëra translatas, ibique per tempus aliquod superstites, mutatas, fusas, succensas, atque in seminalem universi rationem receptas, locum facere aliis intra sedes easdem insuper recipiendis, autumaverint,* hujus rei curiosis videre est apud Marcum Antoninum, vel ut quibusdam placet, detracta larva, Antonium de Guevara, *lib. 1 v. 9. 21. pag. 27. edit. Cantab. cum notis Gathakeri,* quæque multijugæ lectionis Doctissimus Commentator ad Marc. Anton. in notis *fol. 139. col. 2.* observavit, abunde testantur.

## X I X.

Itaque Animæ creationem soli Deo propriam probamus, tum ex ipsius immortalitate superius asserta, cum ex ejusdem a Deo conservatione, negantes creationem ulli creaturæ, ob finitam ejus naturam competere posse, sive ut causa principalis, sive ut instrumentalis, sive ut, loquuntur Scholastici, ex elevatione Dei. Hanc veritatem enervare conati sunt, quicumque Animarum creationem ministerio Angelorum, quo usum esse Deum fingunt in earum productione, attribuire non dubitarunt, quod præter Avicennam, Seleucum & Hermiam, Corpocrates Hæreticus, qui omnium primus sensit, mundum totum (& per consequens Animas in eo) ab Angelis creatum fuisse, acerrimè contendit, teste *Irenæo. lib. 1. cap. 24.* Cujus dogmatis fundamentum ex ipso Aristotele haurire videntur, in libris de Anima. *lib. 2. cap. 4. text. 34.* ubi inquit *perfectum id esse, quod aliud sibi simile producat;* sed res immateriales corporeis multò perfectiores esse, ergò cum hæc alias sibi secundum species similes efficiant, potiori ratione poterunt substantiam aliquam inferioris naturæ, id est Animam humanam, procreare; Hinc



Deo, quem omnium rerum creatorem Gentiles coluere, nescio quam divinam potentiam, quam *Craterem* vocabant, cujusque erat animas producere, sociam addidere Platonici, quod *Proclus* eorundem vestigia premens, *Theol. lib. 5. cap. 30.* non obscure innuit, *gignit enim inquit, una cum Deo creatore, Animas laudatissimus Crater.* Verum cum Animæ per creationem producantur, ut fufius demonstratum est, eaque infinitam in agente virtutem, quam Angelorum finita natura non patitur. requirat; sequitur, nec ab Angelis Animas Rationalis produci posse; neque absolute solum, verum nec per modum instrumenti naturalis, ut quod in subjecto præviam aliquam dispositionem requirat, quæ in creatione, quæ ex nihil & in momento fit, nulla est. Quod ad perfectionem essentiæ, quæ objectionis tota basis est, eandem aliter quam de viventibus corporeis intelligendam esse, nullus dixerit, qui ad Principis Philosophorum verba vel leviter attendat.

## X X.

Neque admittendæ hic Scholasticorum cavillationes, negantium virtutem ad creandum infinitam requiri, eo quod per potentiam Dei absolutam velint creaturam posse creare, etiam ut causam principalem, ergo ex creatione non posse inferri animam non posse produci à causa creata, saltem instrumentaliter concurrere posse ad creandum, & sic animam produci à Deo, ut causa principali, ab Animâ verò matris ut ab instrumentali. *Arriaga in Cursu Philosoph. pag. 451. sectione XI. numer. 310.* Verum quocunque res vertatur, si causæ secundæ competat creatio, sive ut principalis, sive ut instrumentalis, ergò producet Animam, vel ex nihilo, vel ex aliquo. Non ex nihilo, id enim, præterquam quod hoc soli Deo ejusque infinitæ virtuti proprium sit, patet, quia terminus inter creatum & nihil infinitus est, quam disproportionem res finita superare non potest, ergò creaturæ non est creare ex nihilo. Si ex aliquo, idque necessario debet fieri vel ex aliquo sibi consentaneo, id est materiali, vel dissentaneo, id est spirituali, non prius, sic enim ex semine corporeo Anima incorporea crearetur, non posterius, quia sic Anima indivisibilis divideretur. Quod ad potentiam absolutam attinet, si eâ ad creandum creatura gauderet, ea proflueret, vel ex ipsa ejusdem natura, vel ex libera potentia Dei: prius nullus dixerit, qui naturæ humanæ dependentiam agnoscat, præterquam quod

quod finita ipsius existentia, rei infinitæ, ut modo dictum, creationi repugnet. Vel ex libera Dei potentia, neque ex eâ, quoniam potentia Dei voluntas ejus contraria esse nequit, ac sic naturæ suæ, propter omnimodam ejus simplicitatem, obesse; atqui naturæ Divinæ cum sit esse independens, & omnes res habere à se dependentes, ergò non potest Deus velle aliquam creaturam esse sufficientem ad actum infinitum, quod esset, si ex potentia absoluta creaturam sufficientem ad creationem, per modum causæ principalis, crearet. Præterquam quod simplicitati Divinæ essentiæ repugnaret hæc voluntas, quæ, ut aliæ infinitæ ipsius perfectiones, cum ipsa Dei essentia identificantur. Ex quibus patet Animam produci non posse a causâ creata.

## X X I.

Temporis verò rationem si quis curiosius inquirat, num eadem à Deo immediatè post conceptionem infundatur, an verò organizato jam corpore, & omnibus numeris saltem principalioribus, absoluto? quamvis certi quid hic statuere non possimus; tutiorem tamen sententiam eligens, ne motum nescio quem automaticum, corpori nondum animato, attribuire videamur, eandem à Deo prius infundi, ut principium operationum, saltem vitalium, non illibenter concedimus. Rejicimus interim, quæcumque nugax semper & fabulis dedita judæorum societas nobis obrudit, de Animarum unâ cum Angelis creatione, in quam sententiam Origines, quo errante nemo peior, orthodoxo vix ullus melior extitit, prolapsus esse dicitur, ut qui statueret *animas in hæc corpora mittendas, ex quodam veluti promptuario, in quo aservarentur, depromi, ac jam pridem antea in Cælo vixisse, antequam in corpus hoc, ut in carcerem detruderentur.* Lamb. Danaus. in August. de Hæresibus. Cap. XLIII. pag. 109. Difficultati autem, quæ, ex independenti mentis à corpore natura, qua sicuti existit sine materia, ita etiam ab eadem independens ante unionem existere posse videatur, alicui posset suboriri, occurritur, si modò rectè attendatur ad Animam, quæ, ut ens incompletum, de se dicit ordinem ad materiam, imò ex vi naturalis inclinationis semper in materia conservaretur, nisi ab agentibus contrariis expelleretur, & hinc Animam naturaliter exigere primò produci in materia, quamvis immaterialis existat.

## X X I I.

Afferta jam Animæ Rationalis creatione à Deo ejusque in corpus  
in

infusione, non ab æterno, neque ante materiæ presentiam, sed absoluta conceptione, ad argumentorum, seu absurdorum potius, quibus hanc nostram sententiam premi dicunt adversarii, solutionem, mox majoris difficultatis de peccato originali imputatione argumenta diluturi, properamus. Primum, quo nos impctunt, ex generatione hominis & bruti desumitur; etenim si nullo modo homo generet Animam, ergò bruta, quæ sibi similia, sed unà cum anima generant, nobilius aliquid homine producere; verum ipsis regeritur, ibi non attendendum esse ad presens agens, sed ad effecta que ex hoc agente emanant, quæ brutis immane quantum nobiliora existant, ipsa experientia evincit. Uti nec multum stringunt, quæ ex primâ omnium rerum creatarum benedictione inferre conantur, quamvis enim etiam respectum habeant ad bruta, diversissimo tamen modo de homine, quam de brutis, hoc intelligendum est; augetur enim & homines & bruta, dum ex iisdem alii homines, alia bruta secundum similitudinem speciei producuntur. Frustra etiam recurritur ad miraculum in hominis cujuscumque generatione, ex eo quod causa prima, Deus videlicet, in creatione Animæ sola operetur, absque ullo causæ secundæ interventu; cum miraculum tantum obtineat, cum effectum ordinem naturæ ejusque vires excedat; sed generare hominem naturæ leges, quibus Deus voluit præcedenti tali partium, ut quibusdam videretur, justa productione eorumque requisita præparatione, Animam infundi, atque hoc modo cum corpore uniri, nequaquam transgreditur, ergo nec miraculum. Denique incassum sferiunt, quicumque ex Animæ creatione Deo soli competente, ipsum imperfectionis argui posse arbitrantur; quasi verò non summæ perfectionis sit, divisibile & materiale cum spiritali & immortalis in unum idemque suppositum unire.

## X X I I I.

Hujus autem nostræ assertionis non solum rationes antea datas, sed si Authoritati locus, multos antiquæ Ecclesiæ Doctores testes habere possemus, ex quorum hæc de re suffragiis, quæ multa ex immenso hoc Antiquitatis oceano depromi possent, unum tantum aut alterum, dum nos aliò res vocat, in medium proferemus: egregiè enim *Hieronymus in paraphrasi ad verba Eccleasticis: spiritus redit ad Deum, qui illum dedit. refutat illos, qui putant animas cum corporibus fieri: & non à Deo: sed à corporibus parentum generari, cum enim*

*caro*

caro revertatur in terram & spiritus redeat ad illum qui dedit illum, manifestum est, Deum patrem Animarum esse non homines. Eos autem, qui Animam ab Animâ generari contendunt, refellit Ambrosius cap. XI. de paradyso, quia enim inquit ex corpore costam sumpsit non ex Animâ portionem, non Animam ex Anima, sed os de ossibus, innuens ad verba, quibus Adamus uxorem suam recens ex costâ natam compellabat, ex quibus concludit Animam non propagari ab Animâ: ipseque Augustinus, qui cæteroquin in incerta fluctuat, inhonestum putat, si dicantur Anima cum corporibus generari, ut Anima nascatur ex Animâ, quod nec Anima ipsi competit. Augustinus in quæst. V. & N, Test. quæst. XXI. His itaque quantum sufficit Antiquitatis Ecclesiasticæ testimonio comprobatis, ad majoris difficultatis nodum solvendum nos accingimus.

## X X I V.

Cum enim ex jactis antea fundamentis, quibus subvertitur quicquid alius sententiæ fuerit, constat Deum esse tantum Animæ nostræ causam principalem & unicam, removendus est error, quo peccati originalis Authorem ex hâc sententiæ Deum fecere, quicumque extrâ nostræ Religionis sacra, numen pro modulo suo concepere, eique ut rerum omnium Causæ principali, etiam effectus seu causati à causâ secunda profluentis, motiones inordinatas adscribere non dubitarunt. Etenim si Animæ Rationalis origo nec a parentibus sit per traducem, ergo nec peccatum originale, ut accidens, sine suo subjecto traduci potest. Parum attendentes, quænam concurrant ad peccati originalis propagationem, & quænam sit causâ proxima efficiens vel deficiens potius, per quam inexistat, aut inhæreat peccatum originale huic aut illi immediate, ut ejus singulare peccatum; quatuor enim ad peccati originalis propagationem causæ concurrentes quæque singulæ suas, diversas tamen in hoc negotio, vices subeunt, imprimis attendendæ sunt.

Creatorum primus Adamus, qui ut radix & caput, ut ita dicam, totius generis humani representativum, peccati Originalis in posteros propagati, dum peccaret, directâ quasi causâ est in primo instanti conceptionis. Ipsi autem homines qui nascuntur, concurrunt ad propagationem peccati Originalis, non solum ut subjectum ejus, verum ut causâ directè causans, deficiens, propria proxima, e-

C

manativa

manativa hujus venenatæ qualitatis. Parentes verò per generationem partes subeunt causæ sine quâ non existeret peccatum originale in hominibus; etenim naturalis generatio concurret tanquam causa substituens & applicans subjectum in quo actuale peccatum Adami habitum suum generet. Deus autem qui maximas in hoc negotio vices obit, concurret ad peccati originalis propagationem tanquam creator & justus iudex, iusta & efficaci sua providentia, primum efficienter procurando propagationem hominum, producendo corpus, creando Animam: sine quo utroque nulla esset peccati originalis propagatio: deinde, ut nullis limitibus potestatis circumscriptus Dominus absolutissimus, permittendo, uti & omne peccatum, sic & originale; denique ut in distributione donorum suorum liberrimus *αυτοκεντρως*, non suppeditando donum imaginis suæ, quæ non est actio realis & positiva, sed cessatio potius, ac deficientia ab actu in Deo, ac iusta hominis pæna. Quod ad causam attingit proximam efficientem seu potius deficientem, per quam peccatum originale huic aut illi, Petro, vel Paulo, ita inhæreat aut inexistat, ut ejus sit singulare peccatum, nullo modo quærenda est in Deo, ut qui ejus, nec principalis, nec instrumentalis, nec proxima, nec remota causa esse possit. Uti nec culpa devivanda est in parentes, aut ipsam generationem, quia non sunt causa per se, aut instrumentalis: sed tantum causa per accidens, hoc est proprie antecedens, ad quod necessariò necessitate consequentiæ sequitur peccatum originale, eosque tantum esse medium aut causam sine quâ non traduceretur ad Paulum aut in illo existeret. Itaque causa proxima non quidem efficiens propriè sed deficiens, per quam in existat Petro vel Paulo, est ipse Petrus vel Paulus, & unus quisque homo sui peccati originalis & principium & subjectum simul & author & possessor est. Ad refutationem argumenti quod accidens non possit traduci sine suo subjecto, observandum est, peccatum originale non esse, neque substantiam, neque accidens, sed meram privationem istius bonitatis & justitiæ, imò quod addam, potentiæ ad bonum aliquod spirituale, aut salutare, ideoque nullam causam physicam aut realem positivam esse quærendam, sed privativam potius ac moralem.

## X X V.

Sed specie quadam objiciunt, nullam causam posse effectum suum

suum exerere, nisi eadem de facto existat, non entis enim nullas esse affectiones. Respondetur distinguendo inter causam physicam quatalem, & inter causam moralem, de primâ verum, quod in secunda, morali videlicet, non semper necesse est, quod patet in actionibus Christi mediatoriis, quæ licet, per xvii. fere secula præstitæ, etiam & hodie effectum suum exerunt in justificatione hominis coram Deo. Atque eodem modo actuale peccatum ab Adamo olim commissum, quotidie causat peccatum originale in infantibus, qui istius peccati simul ac producti ac concepti sunt, ex asse fiunt hæredes & possessores; non secus ac in juribus aut dominiis, filius primo instanti conceptionis, accipit jura & dominia ex vi contractus paterni, qui ante multos annos innitus est.

## X X V I.

Perversus hæc de re conceptus, ex non satis distincta de peccati Adamici actualis in nos operatione, obortus, causa fuit hallucinationis, quorundam prisca Ecclesiæ Doctorum, præsertim D. Augustini, cui ceteroquin de orthodoxia bene merito, tam multum debet hodierna ecclesia, qui ex hæc re non bene percepta, dubius cui sententiæ suffragetur, difficultatibus longè maximis præmi utramque sententiam, tum de Animarum traduce, cum de nova earum creatione, multis probare rationibus enititur, iisque, qui quæstionem movebant, *quomodo Anima alicujus, cum peccatum nullum habeat, de proprio voluntatis arbitrio, possit justificari per unius obedientiam, si per alterius inobedientiam rea non sit,* quam ut traduciariorum rejicit, respondet, *Animas quidem corporibus hominum Deum novas singulatum dare, ad hoc, ut in carne peccati, de originali peccato veniente, rectè vivendo carnalesque concupiscentias, sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quo cum ipso corpore in melius transferantur tempore resurrectionis.* August. lib. x. de genesi ad literam. fol. 137. col. 2. Verum paucis indigitasse suffecerit, omnem maximi istius Patris, Ecclesiæque Arrianorum aliorumque insidiis petita merito columen habiti, animi in incerta fluctuationem, ex eo ortam esse, quod peccati originalis, rationem, ut ita dicam, formalem, in concupiscentiâ, atque in inordinatis Animæ per corpus operantis motibus, nulla peccati ab Adamo commissi atque in posteros propagati, habita ratione, constitueret, neque modum quo Anima eo inficiatur, dignosceret, adjuncta hinc nonnunquam opi-

nione de Animarum Origine per traducem, quo etiam nomine à Juliano, ut *traductarius* & *traduciana nationis primas* est appellatus. *August. operum imperfecti contra Julianum. lib. 1. cap. 5. p. 25.* Hinc anima infecta impuritatis labe, etiam corpus afficit, *eoque utitur sicut faber malleo vel incude, in qua format omnium turpitudinum Idola, & fabricantur quælibet quarumcumque voluptatum simulacra.* *Cyprianus in prologo de Nativitate Domini.* Quæ tristis nimium experientia abunde testatur.

## X X V I I.

An autem in ipso semine humano sit morbida aliqua qualitas, seu peccati fomes, quo Anima Rationalis ei infusa, macula originali inficiatur? multum disputarunt olim Scholastici, hac in re Augustinum, quem hallucinatum fuisse in hac materia, superius ostendimus, imitati, qui absque ea peccati originalis traductionem, non bene concepta ipsius imputatione, explicari posse, exertim inficiatur *August. lib. III. cap. IX. de peccati merito*, adducta nonnunquam comparatione *podagrae, à parente in filium transmissæ.* *August. oper. tom. 1. lib. 2. oper. imperfectorum.* Quamobrem non semel, à Juliano Pelagium sequuto, Cæsaræ Episcopo, Memorii Capuensis Episcopi, Augustino quondam charissimi, filio, irrisus, interrogatus est, *quæ fieri possit, ut res arbitrii, qualis est culpa, quæ à libero arbitrio originem ducit, conditioni seminum misceretur?* *August. lib. VI. cap. IX. contra Julianum.* Cum autem superius nonnihil, causam principalem istius impuritatis, non Deo, nec parentibus, quorum generationem, per modum causæ merè antecedentis & applicantis subjectum in quo actuale Adami peccatum habitum suum generet, concurrere diximus; sed ipsi homini in individuo imputandam esse, astruxerimus; totam hanc Disputationem, cum sphaeram Philosophicam excedat, ac proprie fori Theologici sit, inque hanc nostrâ Thesi, non nisi appendicis, attamen necessarij, locum obtineat, alibi & aliis decidendam relinquimus.

## X X V I I I.

Atque hoc modo telam, sub auspicio divino inchoatam, ad finem usque perteximus. Quid itaque æquius est, quam receptam ab eo gratiam agnoscere? quid magis creaturam decet, quam conversis in cælum oculis, Deum, omnis boni, cujusvis auxilii ac muneris authorem, respicere. Tu Regum Augustissime, summe Deus, quem supplex veneror, ignoscas, quæ minus rectè, minus

nus appositè, nec gloriæ potentia tuæ satis convenientia, de majestatis tuæ operibus, in Animæ Rationalis creatione, immane quantum elucentibus, ex mentis meæ caligine asseruerim, ac, discussis ignorantia meæ crassissimis tenebris, in beata tui fruitione aliquando ex parte cessaturis,

*Da pater augustam menti conscendere sedem,  
Da fontem lustrare boni, da luce repertâ  
In te conspicuos Animi desigere visus.*

## C O R O L L A R I A.

- I. *Philosophia rectè definitur, quod sit cognitio rerum ex natura lumine hausta.*
- II. *Quamvis verò ejus principium sit mera ratio, ea in Christianis tamen multum adjuvatur auctoritate Divina.*
- III. *Modus, quo ad universalem de omnibus rebus dubitationem proceditur, tanquam ad verum & genuinum Philosophia principium, omne rationis lumen extinguit.*
- IV. *Cum propositionibus vel immediatè, vel mediatè veris, ex hâc Hypothesi, via præcludatur.*
- V. *Ad rectè Philosophandum instrumentis opus est, quibus intellectus noster dirigitur in cognitione rerum.*
- VI. *Quæ cum Logica suppeditat, præsertim ea, quæ præceos rationem donet, hinc inter artes locum jure sibi vindicat.*
- VII. *Omnium autem rerum, quarum eadem categorias considerat, divisio substantia & accidente, absolvi potest.*
- VIII. *Substantia non satis commodè definitur, quod sit ens per se subsistens, sed potius existens.*
- IX. *Entium omnium affectiones Metaphysica considerat; hinc patet quam immensum distet, tum à Physiologiâ, cum ab Ethica, quamvis eisdem in nonnullis usum subministret.*
- X. *Ex quo clarum est, eandem jure merito primam Philosophiam appellari,*



*lari, quatenus agit de virtutibus primo primis in aliis scientiis supponendis.*

- XI. *Entia verò per se existentia, neglecto accidente, ut cuius esse sit in esse substantia, rectè distribuuntur in increata vel creata.*
- XII. *Increati autem entis, quod unicum tantum datur, naturam Pneumatica considerat.*
- XIII. *Cujus, ut Causa prima existentia negato in causarum subordinacione circulo & progressu in infinitum, rectè adstruitur.*
- XIV. *Falluntur, qui ex entis infinite perfecti conceptu, ejus existentiam probare conantur.*
- XV. *Hujus attributa, quamvis conceptu nostro diversa, cum ipsius tamen essentia unum & idem sunt.*
- XVI. *Qua ipsum absolutissimum Deum esse manifestant.*
- XVII. *Hinc gentilium deorum multitudo, ut vanum atque impossibile figmentum, rejicimus.*
- XVIII. *Deus independens est in operibus suis.*
- XIX. *Itaque scientia media, que Deum à creatura, non hanc à suo Creatore dependentem facit, impossibilis existit.*
- XX. *Deum, quamvis sit omnipotens, contradictoria simul vera facere posse, sanctissima pariter & veracissima ipsius essentia, nequaquam permittit.*
- XXI. *Omnium verò possibilium radicem in Dei sufficientia & intelligentia sitam esse, merito statuitur.*
- XXII. *Hinc non procedit illorum sententia, qui possibilia nunquam futura à Deo independentia, asserunt.*
- XXIII. *Creatorum spirituum distributio duplex, in incompletos & completos, quorum hi ordinem ad materiam, illi verò secus dicunt.*
- XXIV. *Utrique principium eliciendi actiones suas cum conscientia, habent.*
- XXV. *Eos, quamvis immateriales, in materiam agere posse, & ratio, & S. S. pagina, omnibus Christianis summà veneratione habenda, simul & testimonium, Gentilium non solum, verum & antiquorum Ecclesie Doctorum, abunde testantur.*
- XXVI. *Quod tamen sit humanum, ei tamen ut universalissimo propter omnium gentium consensum maximè fidelem, ab hominibus doctissimis non solum, verum etiam valde piis, à male fidei, in quam vel ipsi Gentiles cateroquin animadvertissent, suspicione immunibus, fides danda est.*
- XXVII. *Hinc thesis de negata spirituum in corpora operatione, non solum Hobbesianismi de Angelis principia, verum etiam Libertinismum in Gallis*

- Gallii olim adeo vigentem, & à Calvino tam solide refutatum, re-  
novat.
- XXVIII. Accedit, quod eadem ipsam nostram mentem purè passivam,  
præcunte Malebranchio, in operationibus externis seu transeuntibus,  
statuat.
- XXIX. Quam sententiam Neotericorum Principiis deberi, libenter as-  
serimus.
- XXX. Animam Rationalem, quamvis ordinem ad materiam dicat, in  
eâque existat, ab eadem, ut qua immaterialis est, produci non posse,  
rectè concluditur.
- XXXI. Quæ, licet unica sit, omnium operationum principium sufficiens  
existit.
- XXXII. Ejusdem originem soli tantum Deo deberi, non solum ipsa ratio  
verum & SS. pagina, luculenter evincit.
- XXXIII. Quam immortalem, & post separationem à corpore superstitem,  
ejusdem natura postulat.
- XXXIV. Status autem hic Anima post mortem ex constitutione Divina  
corpori iterum unienda, naturalis non est.
- XXXV. Male omnium rerum origo, soli materia & motui, adscri-  
bitur.
- XXXVI. Datur in corpore naturali præter materiam & ejus accidentia,  
substantia quedam materia contradistincta, ab eâdem tamen dependens,  
quæ intrinsicè unâ cum materia constituit corporis essentiam, illudque  
specificè ab omni alio corpore distinguit, & sic simul existit principium  
operationum ab eo procedentium.
- XXXVII. Hinc operationes brutorum ex tali principio ortæ, malè in au-  
tomáticas & mechanicas resolvuntur.
- XXXVIII. Non datur motus corporum purè respectivus.
- XXXIX. Dantur qualitates occulta, quarum nexus inter causam & ef-  
fectum hæud definiti potest.
- XL. Non datur vacuum Philosophicum, quale ex antlia pneumatica pro-  
bare conantur.
- XLI. Non est numero eadem motus quantitas, quæ fuit in primâ rerum  
origine.
- XLII. Neque verum est, motum uno ex corpore egredi, & aliud in-  
gredi.
- XLIII. Mundus non est infinitus, quamvis talem vortices introducere  
videantur.
- XLIV. Hinc extra mundum datur spatium imaginarium.

- XLV. *Corporum sphaericorum in orbem actorum motus, procedit circa axem.*
- XLVI. *Ingeniosa Cartesii de astu marino explicatio non caret suis difficultatibus.*
- XLVII. *Lumen oritur ex globulis igneis ad lineam rectam versus terram pulsis.*
- XLIII. *Luna, ut & ceteri planeta, sole excepto, gaudet lumine mutuo, eique quod inest debile lumen, in Eclipsibus totalibus conspicuum, ex lumine à terra atmosphera ad luna regionem reflexo & refracto, oriri, non improbabili conjectura nititur.*
- XLIX. *Ejusdem autem partes illustriores & obscuriores, non sunt tot insula & maria quales doctissimus Hevelius, cui multum ob accuratas observationes debent Astronomi, finxit.*
- L. *Ethices Existentiam, cum contrarium vitium ad quod corrigendum necessaria est, tum hominum intensum summi boni desiderium, probant.*
- LI. *Omnes humane actiones subsunt legi.*
- LII. *Actio ex bona intentione alicui ut mala potest imputari.*
- LIII. *Voluntas determinatur ab ultimo intellectus practici iudicio.*
- LIV. *Voluntatis humanae objectum, malum qua malum, esse non potest.*
- LV. *Omnes errores primario ex insito natura vitio, & non ex mero libertatis abusu, oriuntur.*
- LVI. *Deus ut supremus Dominus & legislator liberrimus, in quibusdam hominem potest dispensare, in quibusdam non.*
- LVII. *Salus Reipublica suprema lex est & fundamentalis.*
- LVIII. *Hinc supremum magistratum in hanc irruentem, speciosissimo licet pretextu, ut tyrannum imperio exuere licet.*
- LIX. *Avita placita, praecipue qua in bonum reipublica tendunt, successoribus non sunt mutanda.*
- LX. *Plures religiones in una eademque republica tolerare, publicum interesse nonnunquam suadet.*
- LXI. *In communi societate hominum, quodcumque jure naturali permissum est, non semper exsequi conducit.*
- LXII. *Aliquando absque processu juris praecedaneo animadvertere in aliquem publica quies & necessitas postulant.*
- LXIII. *Non semper secundum acta & probata iudicandum est.*
- LXIV. *Pontifici Romano non competit subditos ab obedientia quam suis principibus debent, solvere.*

- LXV. *Vti nec obligationem de data fide, vel haeretico, annihilare penes ipsum est.*
- LXVI. *Astrologiam, ut vanissimum, nec ullis certa consequentia regalis nixum signum, rejicimus.*
- LXVII. *Ejusque cultores, qui ex thematibus, ut ajunt, genethliacis, Domuumque, quas certas cali, in duodecim more regio, veluti palatia distributi, partes appellant, dispositionibus, significatoribus, promissoribus, aliisque id genus nugamentis, vitam sibi aut aliis prosperam, mortem inopinatam, vel truculentam, amicos, filios, bona fortuna, earum Dominis, planetis scilicet, harum rerum praesidiis, pradicere se posse arbitrantur, atro carbone notatos, relegamus.*
- LXVIII. *Astronomiam verò, ut laudandam, atque ad enodandas varias in sacra scriptura difficultates, necessariam scientiam pariter & jucundam omnibus Philosophia cultoribus commendandam esse, arbitramur.*
- LXIX. *Galaxiam, quam prisca commentatores meteorum existimarunt, rubus opticus detexit nihil aliud esse, quam infinitam stellarum, visum ab remotissimam à nobis distantiam fugientium, & confusa luce radiantium, congeriem.*
- LXX. *Systema Tychonicum, missis Ptolemaico, & Copernicano, quamvis ultimum hoc explicandis phenomenis, aequae ac Tychois inserviat, ut sacra scriptura maxime conveniens, amplectimur.*
- LXXI. *Non omnes stelle fixae in eadem superficie, sed aliae aliis altiores, & profundius immerse, calo innatare videntur.*
- LXXII. *Calum sidereum unicum esse, & perse non moveri ab oriente versus occidentem, rectè dicitur.*
- LXXIII. *Parallaxis ad horizontem maxima, ad verticem vero nulla est.*
- LXXIV. *Stellas fixas & planetas sub horizonte ortivo adhuc latentes refractione elevat, & sub occiduo depressas supra horizontem conspicuos facit.*
- LXXV. *Non inconcinne haec matheseos pars, qua circa descriptionem terra illiusque regionum distributiones versatur, oculus historiae dicitur, ob multiplicem illius in variis rebus historiis, problematibus absque eà nequam solvendis, usum; praesertim cum inserviat explicandis iis, quae aliis mera paradoxa viderentur, inter quae.*
- LXXVI. *Quod dua naves sibi mutuo in eodem loco occurrentes, earum tamen una ex die multum amississe, altera verò lucratam esse, possint dici.*
- LXXVII. *Quod sub eodem latitudinis, tum boreae, cum austrinae gradibus viventibus, & media nox simul & meridies esse possit.*

- LXXVIII. Quod sub eodem meridiano degentibus, varia simul tempe-  
 stas anni obtingere possit.
- LXXIX. Quod iidem gemelli, eodem temporis puncto nati, eodem mor-  
 tui, alter altero per valde conspicuum horarum intervallum, diutius  
 vixisse queant dici.
- LXXX. Possunt due lineae in eodem plano, quamvis à se invicem parum  
 distent, & continuo ad se accedant ab una parte, in aeternum tamen  
 non concurrere.
- LXXXI. Possunt due dari quantitates, quarum major in infinitum potest  
 minui, & minor in infinitum augeri, qua tamen nunquam aequales  
 fieri possunt.
- LXXXII. Omnis linea recta & angulus retilineus dividi possunt bifariam,  
 proinde atomos negat mathefis.
- LXXXIII. Anguli incidentiae & reflexionis, in omni reflexione, sublato  
 impedimento, inter se sunt aequales.
- LXXXIV. Radius luminis tanto magis refringitur ad perpendicularum,  
 quanto medium fuerit densius & obliquius incidat; tanto minus, si  
 secus.
- LXXXV. Visio non fit per emissionem aut luminis aut spirituum visualium  
 ab oculo ad objectum.
- LXXXVI. Rectè autem statuitur visionem fieri per susceptionem specierum  
 ab objecto in oculum transmissarum, qua potentiam visivam per se ad  
 objectum aliquod indifferentem, determinet.
- LXXXVII. Sedes autem potentiae visivae non est concursus nervorum opti-  
 corum, uti nec humor crystallinus, sed potius in retina collocanda est.
- LXXXVIII. Mechanica rectè definitur quod sit ars, qua quantitates vi-  
 rium moventium, & tempora in quibus fit motus, explorat; aliàs est  
 ars facilitandi motum per quadam instrumenta.
- LXXXIX. Qua quamvis via maxime principalis, vectis, trochlea, &  
 planum inclinatum, ad duo forsam redigi possent, ad vectem & planum  
 inclinatum.

